


VIRO
Nobilissimo. Amplissi[mo]
Domino
HENRICO ANHALT

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo

Domino

HENRICO ANHALT. D.

Consuli Ruppinensi

Aulæ Regiæ & Circuli Ruppinensis

Medico

Musæum Curiosum

Adornanti

Instructissimi quondam Gazophylacii

Curiositatum

Exemplar

ad

Imitandum,

Æmulandum,

vel

Superandum

sese offert

et ut indicis loco esse possit

Tutelæ suæ submittit.

MUSÆUM BRACKENHOFFERIANUM.

CURIOSE.

Si. quæris. Cujas

non. sum. Ruppi[...]

de Rupe. tamen.

Cur. superinstruct[...]

addidit. pretium.

Ex teris scam felicitatem,

mea. sorte.

).

[...]ci inservaiant

[...]rtuosæ libidini.

CURIOSE.

Si quaeris. Cujas. Sim!

non. Sum. Ruppinus.

de Rupe. tamen.

Cui. Superinstructa. Arx.

Trudum sum Rupis.

globorum.

non. vi. excisum

sed. Sponte. delapsum.

vel

a. Matre. dejectum et devolutum.

Noli Credere

Saxa et Lapides, plane esse

infoecundos

vide. interiora mea.

quasi Uterum.

foetum. Gemmis.

gemmis quid pretiosius?

Inter. Gemmas. quae. radiantior.

Adamante.

Gemmarum. ergo. Mater Sum.

Adamantum. Procreatrix.

Obscura. et squalida Mater

Illustrissimae et Splendidissimae

Prolis

Quod. si ad naturam. adjuverit
ars.
Si data. Artifici. Ars. bene expliverit
foetus. meos
Illustria. Illustrissimorum. Principum et
Majestatum. Ornamenta.
non. obfuscabuntur sed. Splendidiora.
reddent.
Nitore. non cedunt. Indis.
duritie. tamen.
Durum. India. Solum. est
et. Coelum.
Quaevis. Regio. suam. obtinet
~~indolem~~ virtutem, et operandi Vim.
Ast.
Quae. Hominum. Luxoria est. prodigaliter!
Quia peregre afferuntur
grande! illis addidit. pretium.

Non invideo Exteris suam felicitatem,
Contenta. mea. sorte.
Sed.
ne foetus mei inserviant
aliorum sumptuosae libidini.

Quod. si ad naturam. adjuverit

ars.

si data. Artifici. Ars. bene expliverit

fretus. meo

Illustria. Illustrissimorum. Principum et

Maiestatum. Ornamenta.

non. obfuscabunt sed. splendidiora.

reddent.

Nitore. non. cedunt. Indis.

duritie. tamen

Durum. India. Solum. est

et Coelum.

Quaevis. Regio. suam. obtinet

~~indolem~~ virtutem, et ~~oper~~ operandi Vim.

Ast

Quae. Hominum. superiora est. prodigaliter!

Quia peregre afferuntur

æternum sepulc[ro] ute

adepta

satis splendoris

cum mihi locus d.

Delitescendi

aeternum gestulo uterum.

adepta

Satis Splendoris

cum mihi locus datus sit

Delitescendi

inter tam varia tam artis quam

naturae admiranda

in Museo

Viri

Inter doctos artis suae Clarissimi

inter

Curiosos solertissimi

satisfactura

si potero

oculis Eruditorum et

Curiosorum

MVSÆVM
BRACKENHOF-FERIANUM

delineatum

à

JOH. JOACHIMO BOCKENHOFFERO
Argentinensi.

ARGENTORATI.

ANNO RECVPERATÆ SALVTIS.
cIↄ. Iↄc. LXXVII.

Ex manu Magnifi[illegible]
Dni Brackenhofe[illegible]
accepi, Ann. 168[illegible]
[illegible]

Nihil quod ad rem Musaei faciat hic desideratur, duae plagulae desunt, quae nil continebant praeter allocutionem, ad Dn. Possessor. Musaei directam.

Desiderata manu mea sunt adjecta ex Valent. Mus. Museor. P. III. p. 70. T. II.

Anhalt, filius Heinrici. p.

Accede Hospes

Quicunq; rerum pulchrarum desiderio teneris.

Accede

Hic menti tuae spectandum aperiam

Quod oculis mihi lustrare datum erat

THEATRUM

NATURAE ARTISQUE

GAZOPHYLACIUM

NUMMORUM

Croesi, aut Crassi alicujus opibus

si non ditius

certe dignius.

Quibuscunque ab oris venias

Hospes

hic reperies id quod Tibi domesticum est;

& quod apud exteros quaeris,

hic patriam indeptum esse

fateberis.

Nihil pene est

quod NATURA PARENS

unquam produxit,

quod Ars FILIA
unquam effinxit
cujus hic non sit exemplum,
vel saltem vestigium.
NUMMORUM THESAUROS
alibi alii invidiose corrasere;
hic praeter Nummos,
quicquid operose congestum
ingeniose digestum cernis,
coactum est
POSSESSORIS
sumptibus domi forisque impensis:
aut
Pomponii Attici exemplo
saepe diligentia potius
ESTAS
quam pretio
comparatum est;
quod
Nepote Judice
non mediocris est industriae.
Eruditorum vero applausu,
Spectatorumque congratulatione
sine dubio omnia
horumque nonnullorum liberalitate,
quaedam etiam
collecta sunt.

Accede lector, introspice, si intras
Hic est plurimum ornati
nihil tumulti.
Hic panditur revera
(inscriptione supra aedium fores promissa)
SALUS INTRANTIBUS.
Nemo hinc discedit nisi doctior,
est enim hoc MUSEUM
NATURAE ARTISQUE GENIO
SACRUM.
Et
ut omnibus ubique publice utile sit,
quod undique hoc privatim conduxit
POSSESSOR
primaria ejus intentio est.
Utque vicissim
privatorum desideriis satisfiat
et ut spectare queant
Absentes
Hoc SACRUM,
id
publicae utilitatis causa
nudo rerum contentarum indicio
sic exhibetur.
Namque
DESCRIPTIO
nulla jam exspectanda est:
in tanta ~~paginae~~ paginarum angustia

vix attingi
maxima vero industria
vix nominari
potest,
Tot rerum
Tantus numerus, Tanta varietas,
Tantum decus.
Sed
Tot rerum
Tantum decus digne decorabitur
Tanta varietas copiose distinguetur
Tantus numerus concinne exponetur,
accurata descriptione
quam
aliorum exemplo
molitur,
Et jam ultra umbilicum perduxit
POSSESSOR,
Quolibet Encomiorum numero,
varietate, decore,
superior,

ILLUSTRIS VIR
DN.
ELIAS BRACKENHOFFER,
REIPUBL. PATRIÆ ARGENTORATENSIS
QUINDECIM-VIR.

Nomine ſolum hoc audito
ultro Tibi innoteſcit
Hoſpes,
Literarum Patronum
deſignari.
Comitatem, Affabilitatem, Urbanitatem
EJUS
laudare, ignominia Virtutum
fuerit.
Jam cognoſcis
aditum Tibi non difficulter patere.
Quare pedem jam promove,
ſatis diu in atrio conſtitiſti,
longinqua tantum contemplatione
non perculſus,
ſed plane in ſtuporem raptus,
antequam admiratione digna vidiſti.

Verum enim vero
GRADIBUS NON SALTU,
Ordine Te ducam,
ne memoriam confundas.
& primum
ADMIRANDA NATVRÆ,
deinceps.
INVENTA ARTIS,
poſtremo
NVMMORVM THESAVROS
Tibi oſtendam.

Age ergo
& mecum, ſi libet, deſcende
IN TERRÆ VISCERA,
QVALIAQVE EFFODIANTVR
ex iisdem,
contemplare.
Abſcondunt illa.
METALLA, LAPIDES,
&
MINERALIA quæ vocant MEDIA.

Principio intuere

METALLA.

Cur ingemiſcis quæſo?
ſunt hæc non malorum,
ſed præclariſſimæ induſtriæ
irritamenta.

Obſerva quam varia

MINERARVM METALLORVMQVE
GENERA,

largiſſima ubertate,
verſicolore nitore
velut in areolis diſſeminata
turgeant;
occurrunt
tam *primaria*, quam *ſecundaria*,
tam *perfecta*, quam *imperfecta*,
tam *mollia*, quam *dura*.

Porro

METALLA AFFINIBVS SVIS
CONCOMITATA

conſpice.

Primum *nativa*,
Dein *arte*
tam *extra fornacem*,
quam *in fornacibus metallicis*
facta.

ILLA

quæ in montibus quidem naſcuntur,
metalla tamen non habent,
ſunt

Galena, Cadmia nativa, Marcaſita, Pyrites,
Mica, Coboltum, Talcum, Chryſocolla,
Cæruleum, Spoodos.

HÆC
quæ extra Montes
vel ſponte à Natura,
vel induſtria humana
fiunt,
ſunt
Rubigines, Squammæ, Cæruleum, Ærugo, Ferrugo,
Ceruſſa, Cinnabaris ex Ceruſſa, Tutia Alexandrina,
Lythargirium, Molybdena, Dyphrigis,
Scoria, Cadmia, Pompholix, Spodos.
Quomodo Tibi placet
Spectator
Hic Campus
elegantiſſimorum florum ſubterraneorum
multitudine, varietate, decore, pictura,
amœniſſimus?
Quid oculos magis paſcere,
quid mentem melius recreare poteſt?
At plures ſuperſunt:
ejusmodi florum ſpecioſiſſimos
nondum ſpectaſti;
nimirum
fallit oculos ſagaciſſimi cujusque,
imo vel Argum ipſum
totum licet oculeum,
tam numeroſa multitudo,
tam multiplex varietas,
tam varium decus,
tam decora pictura,
& denique
adeo eleganter picturatum

florum domicilium.

Aſpice

Auri puri mineras

à natura ſplendentibus venulis

plusquam artificioſe

ſubductas.

Cerne

Mineras aliquot *Argenti*

à fecibus & ſpurcitie terreſtri

omnino purgatas,

herbarum inſtar

in prominentes ſurculos

enatas;

ſed ſic enatas,

ut factæ videri poſſint,

ſi decorem ſpectes;

quanquam decoris indoles rurſum

talis eſt,

ut nec fieri poſſit,

nec amet videri facta.

Et,

ut pulchritudini reſpondeat magnitudo,

ea pugnum ferè exequat,

Hæ ſunt

quæ

in horto tam prodigioſo

efferunt capita,

Quantum lenta ſolent inter Viburna cupreſſi.

At
non omnis amœnitas
huc ſolum confluxit.
Spelunca eſt huic horto vicina,
LAPIDUM
varietate, raritate, caritate,
uſu, luſu,
pretioſiſſima.
In ejus extructionem
ingens pecuniæ ſumma
impenſa,
nihil tamen pecuniæ
dilapidatum eſt.
Hic ſpectabilis eſt laudabilis luxuria,
qua neminis crumena affligitur penuria,
qua damnatur vel penitus aboletur
ſeculi incuria,
ideoque non eſt vituperabilis in Curia
hæc
pretioſiſſimis lapidibus luxurians
Lapidicina.
In ea exornanda
inter ſeſe contendentes conſpiciuntur,
veluti præclarum Architectorum par,
Ars Et Natura.
Ab una parte
coagmentata ſunt agmina,
Lapidum è terræ latebris *effoſſorum*.
Ecce innumeræ ſpecies adſunt,
adſunt
Silices, Saxa, Marmora, Dendrites,
& plures aliæ.

Adſunt *Lapides*
è Meteoris delapſi,
è fluminum fundis extracti,
ex animalibus excreti.
Inter poſtremos
principem locum obtinet
quidam
ſtupendæ magnitudinis
Hyppolitus;
non ille à Lapide,
ſed Hyppolitus Lapis
ab Equo,
pondus 90. Lothonum Colonienſium
adæquans.
Adeſt & alius
priori pondere,
id enim ad 25 $\frac{3}{8}$. lothones tantum
adſcendit
minor
an etiam ætate?
incertum.
Interim tamen ejus Frater eſt;
quid rides?
Ambo Gemelli ſunt,
ex unius Equi viſceribus,
dico viſceribus, ſine tropo,
prognati.
Hos excipit
Bufonites hemiſphæricus levis,
(non hic Brontiam intelligimus)

cujus diameter ad $2\frac{3}{16}$.
& altitudo ad $\frac{3}{4}$. digitos exſurgit,
à nemine adhuc
quod ſciam
tam inſigni magnitudine
deſcriptus.
A media parte
ARS
UT EST NATURÆ ÆMULA,
ſua quoque exhibet miracula.
Ea enim conſpicienda præbet
Folia arborum, Ligna, Cancros, Dentes,
Echinos marinos, Carnes, Cornua, Oſſa,
mediante ſucco quodam lapidifico
in Lapidem converſa,
& petrefacta.
Et ut plane nihil abſit
quo nitidior reddi unquam queat
hæc Lapidicina:
illa denique pulcherrime nitet
GEMMARUM
fulgoribus tota pene pellucida.
Mirabile eſt
auditu, dictu, viſu,
quam mirabiliter admirandis radiis coruſcet.
Pretioſi orientis occidentisque Lapilli,
per ſuos colores diſtributi,
hic
quaſi in compendio
alterno lumine lucent.
Namque oculos hic perſtringunt

Adamantes, Saphiri, Rubini, Smaragdi, Hiacynthi, Amathysti, Berilli, Lincurii, Almandini, &c.

ſinguli
ignibus, viribus, varietate
diſtantes.
IGNOBILIORUM quoque GEMMARUM
nobiliores aliquot
hunc locum nobilitant,
nempe
Oculi mundi, Beli, Felis.
Omnes digniſſimæ
ad quas oculi convertantur.
Sed neque deſtituta eſt
MARGARITIS,
tot Gemmarum
nitore pretioque diffidens
unio.
Offerunt ſeſe
Margaritæ Orientales
pulcherrimæ,
natura, candore, pretio & patria,
inſignes
contra Græcorum Proverbium
conchis digniſſimæ.
Et ut diſcas,
has etiam naturæ luſibus expoſitas eſſe,
monſtrantur Margaritæ
quibus, contra *Plinium*, non luxuria,
contra *Curtium*, non libido,
ſed monſtroſa forma
pretium fecit.

Imo etiam frigidiſſimæ Regiones,
& ex cæteris *Lapponia*,
ſuas huc miſere Margaritas;
ne
Britannici maris ſeceſſus
habeant ſoli,
quo Perſas Indosque
provocent.
CRYSTALLA denique & FLUORES,
ſimiæ Gemmarum,
poſt eas
proximum locum occupavere:
non ideo
ut *Spectatori* fucum,
ſed ut nobilioribus Gemmis
pretium concilient,
ſpectanti vero affinitatem ſuam
cum iisdem patefaciant.

Exigit nunc ordinis ratio
ut
MINERALIA MEDIA,
quæ lapides inter & Metalla
medium locum tenent,
conſpiciamus.
Occurrunt hic primo
omnis generis
TERRÆ,
tam *crudæ*, quam *ſigillatæ*,

Item
fabriles, figulinæ, argillæ, margæ, boli,
recrementa terrarum.
Sequuntur dein
Sulphura quædam & *bitumina,*
intra & extra terram nascentia,
quorum consortio gaudet
Succinum
quod hic conspici datur,
carcer & sepultura muscarum.
Sepulchrum lapideo quodam Mausoleo,
fortassis præstantius.
In hoc enim labor sese occultat,
Natura se prodere laborat;
quod in illo nulla elaboratio assequitur,
in hoc sine labore extat,
ideoque
visu valde amœnum est.
Inter crudas
eminet
Terra Japonensis Catechu,
noviter inventa.
Inter argillas, Terrasque figulinas,
Vasa nonnulla Porcellanea,
ab Indis affabre facta,
argentoque deaurato ornata.
Sigillatas tandem seu *Pharmaceuticas Terras*
47. diversis signis insignitas
mira varietate
hic conspicies.

Egrediamur nunc iterum,
visis thesauris & miraculis
quæ sub terra latent,
ex hac spelunca
foras ad lucem.
Et si placet,
porro me sequere
mi Hospes.

IN REGNVM VEGETABILE
nunc Te deducam;
ut autem penitius observes singula,
IN TERRA
Te primum circumducam,
deinceps
AD MARIS LITTVS,
imo
IN MARE IPSVM,
sine periculo vitæ
Tibi viam aperiam.
Non mirare,
quod iter tam memorabile
tam brevi temporis
tam exiguo loci
intervallo,
cum fructu fieri posse,
adeo audacter spondeam.
Quemadmodum Geographi
Terram & Mare circumfusum
parva admodum in Tabella
eleganter referunt;
ut regnorum fines apte determinari,
Fluminum cursus, flexusque sinuosi
commode cerni & dignosci;

Arces, Caſtella, Urbes,
harumque munimenta & propugnacula,
item Portus maris,
ſpectari æſtimarique ſatis
poſſint:
Sic
in hac loci
& parva temporis anguſtia,
RERUM QUAS TERRA PRODUCIT,
veluti in Tabellæ compendio,
larga ſeges
exhibetur.
Etenim hîc *primum* conſpiciendi ſunt,
Fungi,
(ut à vilioribus exordiamur,)
poſtea
Muſci, Radices, Ligna, Cortices,
Folia, Flores.
Cernuntur *præterea*
Fructus,
ſquammoſi ſeu *coniformes*,
ſiliquacei, laniferi, putaminei & aromatici,
varii generis.
Horum agmen clauditur
Seminibus, Succibus, Alcyoniis, &c.

Jam ſe Nemus aperit
arborum varietate
ut denſiſſimum,
ita & amœniſſimum.

Numerantur enim in eo
centum species
LIGNORUM
in quibus
tanta colorum varietas superbit,
ut picturam potius
putes,
quam ligna.
Hujus nemoris amœnitatem adauget,
aut potius maximam facit,
ex Umbria & Islandia advectum
Lignum Fossile.
Inter spectacula
FRVCTVVM
si miraculum cernere libet,
licet,
Te modo confer
in Vineam
nemori adjacentem,
videbis
Uvam quandam,
Uvam illam Cananæam
longe vincentem;
non magnitudine & pondere:
quomodo ergo?
ætate.
Barbam enim gerit prolixissimam,
21. digitos longam.
Cananæa illa portabatur in Vecte
à duobus Viris,
quia pondere gravis erat;

Hæc etiam gravis est
sed senio barbæ,
ab infante tamen sustineri potest.
Utræque in eo conveniunt
quod illa quondam fuerit
hæc hodienum sit
monstrosa.
Inter
RADICES
in gremio terræ delitescentes
eminet,
Bryonia monstrosa,
membrum virile exacte referens.
Admirandæ quoque sunt
Verrucæ aliquot nodosæ
sorbi cujusdam,
à natura tam mire undulatæ,
ut marmor pulcherrimum mentiantur.

Verumenimvero
m ambulamus, dum loquimur,
dum Terræ divitias
in Regno vegetabili
consideramus,
superamus
pedetentim procedendo
viæ aliquod spatium,
& inoffenso pedis progressu
AD LITTUS MARIS
accedimus;

IMO MARI IPSI,

fortuito magis, quam incaute,
immergimur.
In eo quoque reperimus
varios fœtus,
Arbusculas, plantasque marinas,
Corallia
Alba, Rubra, Nigra, Vera,
Pseudocorallia
Fungis Saxeis, Hippuro, Balano, Fuco marino,
Resede,
& his similibus,
veluti gramina floribus,
permista.

Cum vero jam in eo sit
ut Tibi quoque ostendenda veniant
ANIMALIA,
ne hinc abscedamus,
antequam cuncta perlustraverimus,
TURBAM SQUAMIGERORUM
OCEANO LATENTIUM
Tibi ob oculos ponam.
invenies itaque
Zigænas, Pristes, Orbes muricatos, Ostraciones,
Mugiles alatos, Remoras, Sturiones,
Scorpiones æquoreos, Acus marinas,
Rajas peregrinas, Hyppocampos, &c.

Miraberis

CAPITA

Trutinarum Lacus Lemanni

immensæ magnitudinis,

ſuper undas eminentia.

MANDIBULA

Carchariæ, Delphini.

DENTES

tam *molares*, quam *prominentes*,

Hippopotami, Cetorum,

fluctus diverberantium.

OVA

Piſcis Caniculæ, Rajæ.

Aſſociarunt ſe Piſcibus

SERPENTES.

Inter quos

raritatem ſapit

Americanus quidam

8. pedes & 2. digitos longus.

Huic adjunctum eſt

Sceleton illius Serpentis,

qui per triennium

in corpore deliteſcens Adoleſcentis

cujusdam Argentoratenſis,

tandem per os ejus exivit,

puerumque miſere necavit.

Conſpicies denique

CANCROS

Moluccenſes, Mantes, Paguros,

Aſtacos marinos, Squillas gibbas,

Pediculos marinos, &c.

Locum ab his proximiorem
occupant
ZOOPHYTA,
qualia ſunt
Stellæ marinæ variarum ſpecierum,
Echini marini, Holothuria, &c.
Omnium vero maxime
in contemplationem ſui Te invitabunt,
attrahentque oculos tuos
CONCHYLIA,
quorum adeo immenſa multitudo,
ineffabilis pulchritudo eſt,
ut mihi non conſtet
unde exordiar, deſinemque.
Videbis
inter mille dextre ſe contorquentia,
quædam Maris Indici
quæ ſiniſtre ſe circumvolvunt.
Sed cave Tibi perſuadeas
Oceanum ſolum habere,
quod hac de re glorietur.
Vulgare etenim ſiniſtrum
in Agro Argentoratenſi repertum,
hic quoque Tibi conſpicere licebit.
Eſt & aliud
Conchyle bivalvum,
peregrinum certe & rarum,
formam cordis,
qua pictores id exprimere ſolent,
exactiſſime referens,
in paucis forte Muſeis viſum,

& nunquam adhuc
quantum *POSSESSORI* conſtat
deſcriptum.

Remetiamur nunc iterum
poſtquam
quæ in Oceani profundum
Creator abſcondidit,
vidimus quidem,
nondum tamen ſatis vidimus,
nec ſatis videbimus.
Non prætereamus
QVADRVPEDVM
hinc inde reptantium diſcurſitantiumque
gregem.
Inuſitata Animalia nobis occurrent.
Videbimus enim,
Crocodilos, Armodillos, Yguanas,
Teſtudines terreſtres & aquaticas,
Chameleones.
Spectabimus
CAPITA
Leonum, Urſorum, Luporum,
Simiarum, Caſtorum,
CORNUA
Rhinocerotum, Monocerotum, Damarum, Caprarum, Bezoardicarum, Vervecum Americanorum,
Aranearum Indicarum,
particulas inſuper aliquot
Cornu Uri Illius Monstrosi,

QUOD IN SUMMO ARGENTINENSIUM TEMPLO
ANTIQUITAS PRO CIMELIO
OMNIUM CONSPECTUI EXPONI CURAVIT.
Præterea
CAUDAS
Rhinocerotum,
PEDES
Alcium, & *Cercopithecarum*,
UNGULAS
Leonum, & *innumera alia*.
Diceres
Vivarium pulcherrimum Te vidiſſe,
ſi viva & integra adeſſent
Animalia.

Eodem modo
& Aviarium hic cernere eſt,
propter raritatem
peregrinarum monſtroſarumque
AVIUM,
viſu admodum jucundum.
Nam in eo ſunt
Manucodiatæ, *Tardæ*, *Nycticoraces*,
Columbæ bicipites, tribus alis,
Paſſeres tribus pedibus, &c.
In eodem
obvia habebis ſuſpenſa

ROSTRA
non Navium,
ſed Avium variarum,
ſcilicet
Semende, Jabiru, avis Rhinocerotis,
Tucan, Picæ Braſilienſis, Platinæ,
Anatis Antarcticæ, &c.
Quorum omnium raritas
ſeipſam
veluti pro Roſtris
laudat.

OVA
hic ſublata ſunt
à
Caſuariis, Struthionibus, aliisque avibus
parta,
in quibus natura
mirum in modum jocata eſt.
Similiter hic etiam offendes

NIDOS
tragantho haud diſſimiles,
Avicularum regionis Coromandel,
perquam raros.

INSECTORUM

denique
nam & eorum quædam ſunt volatilia,
hic non obliviſcendum eſt;
Non autem intelligimus
Muſcas illas & araneas vivas,

quæ citra *POSSESSORIS* veniam
& voluntatem,
picturas resque alias
contaminare ſatagunt.
Utinam illæ omnes
meritiſſimis ſuccini carceribus
clauſæ forent!
Sed monſtramus hoc loco
Scarabæos Americanos, Unicornua,
Muſcas peregrinas,
exoticotamiis inſeri non indignas.

Hactenus vidiſti
Naturæ admiranda opera,
Nunc etiam
contemplanda reſtant
ab

ARTE,

Naturæ Imitatrice,
inventa & imitata,
ab Artificum ingeniis manibusve
poſthac eo magis imitanda,
quia imitatione digniſſima ſunt;
Quid loquor? aut quo provehor?
potius non imitanda:
quia ingenia manusque Artificum
longiſſime ſupergrediuntur
HÆC ARTIFICIA
vix imitabilia.

ARTIS APELLEÆ PRINCIPES
cæterorum Artificum
hic ducunt agmen.
Totum Conclave
UNA PICTURA,
attamen
DIVERSORUM PICTORUM
opus eſt.
Nec tamen
ſolius penicilli gloria
hic exſplendeſcit,
PICTURA ACUS,
cujus ſpecimina quoque admirabilia
hic cernuntur,
eam,
imo naturam ipſam
provocante.
Scilicet
GRATUM NATURÆ MENDACIUM
EST PICTURA,
QUO MAGIS FALLIT,
EO VERITATI PROXIMIOR.
Summa cum laude
Polycleteo artificio
Naturæ opera
in hoc Muſæo
Imaginum Veritate
mentiuntur,

Baldungi, Scheiffelini, Blœmarti,
Brugelii, Kranachii,
ſui ſeculi ornamenta.
Et quis neget?
cum
(adſtipulante id ſententiâ, parieti adſcripta.)
MORTALES ARTIBUS FIANT IMMORTALES,
eos eſſe,
ſemperque fore,
futurorum ſeculorum
ornamenta.
Hoc in Conclavi
Monumenta Artis ſuæ
ſuſpenderunt
porro,
Mirovii, Falckenbergii, Jordani,
Spiegleri, Schœnfeldii, Walteri, Vaillanti,
Helmontii, Stoskopfii, de Köninck, Oſtades, Barſelli,
Spiringii, Brentelii, Baurii, Beſſereri,
Franckenbergeri, Rooſæ, Dieterlini,
Gaſneri, &c.
omnes, diverſo, uti vocant, ſtudio,
celeberrimi.
Homines, animalia, flores, poma,
regiones, & alia,
non qualia ſunt, ſed qualia videntur,
exhibentes.
Sed &
quæ ſupra ſexum ſuum
muliebrem

ad penicilli gloriam
adſpirarunt & aſcenderunt,
cum Virorum operibus
de palma contendunt.

Nam
occultam illam picturæ virtutem,
quam Apelles ſibi ſoli vindicabat,
Gratiam ſive Venerem,
optime quoque cognovere,
Tres hæ Gratiæ,
arte ſua, non ſtirpe ſorores,
Schvvartiæ, Brenteliæ, Merianæ.
Ultimo loco
Chinenſium Ruſſorumque Picturæ,
non tam ob artificium,
quam peregrinitatem ſuam
æſtimandæ;
veluti ſtellæ minores
inter majora ſidera
lucent.

CALCOGRAPHICA ARTE
ELABORATA,
ſi forte hic quæris,
quæris fruſtra.
Adſunt quidem
innumeri typi
celebratiſſimorum
tam Veterum, quam recentiorum
Cælatorum.
Adſunt
Illuſtrium Virorum imagines
quorum numerus 5000 longe excedit,
hujusque generis alia.

Sed cuncta hæc
in libros maximam partem compacta,
multitudine adaugent,
pulchritudine vero ſua adornant
INSTRUCTISSIMAM BIBLIOTHECAM
POSSESSORIS,
quam ILLE
optimo delectu
ad Cimeliorum ſuorum illuſtrationem
accommodavit.
In qua quotidie
cum mortuis converſatur,
ut olim poſt mortem,
id modo ſero fiat!
inter vivos
perenni famæ perpetuitate
verſetur.

STATUARUM
hic quaſi Silva eſt,
numerabis enim ultra 150.
placebunt illæ
niſi ipſe Statua es.
Inter eas
duæ *ex auro puro*,
duodecim *ex argento*,
ſeptem *ex ebore*,
reliquæ
ex ære, marmore, alabaſtro, gypſo, ligno
cera, plumbo, aliisque materiis
ſunt effigiatæ.

Harum omnium Princeps
eſt illa ærea,
quam typis expreſſam & deſcriptam
videre habes,
in
IMPERATORUM
ROMANORUM NUMISMATIBUS
CAROLI PATINI,
cujus liberalitati
POSSESSOR
eam debet.
Pro eadem tamen
agit quoque gratias,
quæ ſingularis Ejus benevolentia eſt,
Parenti meo, Viro Optimo,
SIMONI PAVLLI,
BIBLIOPOLAE.
Sunt præterea
&
ALIA ARTIFICUM
OPERA,
ex
Auro, Argento, Gemmis, Ebore,
Vitro, Ferro, Ære, Ligno,
Cera, Stramine,
ad manus;
& ut videas
hic quoque
ANTIQUITATIS
magnam eſſe venerationem
paſſim Ejus monumenta
conſpiciuntur.

Addita namque ſunt
CLEPSYDRIS
Veterum,
Recentiorum
HOROLOGIA,
quorum
tegmina ſive capſulæ
factæ ſunt
ex
Jaſpide & Achate,
aliæ conſtant ex auro,
aurifabrili arte in varias figuras
& Imagines
ingenioſe coacto,
& ad ſtuporem elaborato.
SPECULA
ex Metallo quoque & Vitro,
artificiorum hic viſendorum
numerum multiplicant,
ſpeciem venuſtant,
objecta majora, quam ſunt, repræſentant,
inſpicientes denique decipiunt.
Et ut pateat
nec noſtro Seculo ſuos deeſſe
DÆDALOS,
& Mechanicorum Recentiorum
ingenioſe inventa,
imitatione digna eſſe,
ejusmodi variæ formæ & exempla,
MODULOS ſive MODELLA
appellitant vulgo,
Tibi ob oculos imitanda ponuntur.

ARMA
etiam
antiqua, artificiosa, peregrina,
antiquitatis, artificii, peregrinitatis
genio,
hic sese commendant,
inter
antiqua, artificiosa, peregrina
Cimelia.
Sed &
ANNULOS
ornatus variique usus causa,
apud veteres Romanos,
& alias Gentes
fabrefactos,
hic cernere potes:
nimirum
Clavales, Æreos, Aureos,
è Jaspide Turcicos,
Sphæricos, Sciatericos, Medicinales,
Articulares, Memoriales, Artificiales,
& quæ huc referendæ sunt,
Armillas Veterum.
His perlustratis
ARTIFICIOSA VARIA
EX INDIA
ALIISQUE REGIONIBUS
EXOTICIS
APPORTATA
videbis.

Et tandem
VASA ANTIQUA,
ſcilicet
Urnas, Lucernas, Ampullas Lachrymales,
Vitra Unguentaria,
hujusque generis alia
ANTIQUIS FUNERIBUS SACRA
intueri mirarique potes,
quicunque
Antiquitatis Amator & Venerator
exiſtis.
Sed ne hinc abeas
ſine cogitatione mortalitatis,
doceris
aureo hoc dicto
(hic loci aureis literis adſcripto)
CINIS ES, QUID SUPERBIS?
Ut & eo
DISCE MORI,
OPTIMAM PHILOSOPHIAM
(quod alii ædium parieti inſcriptum eſt)
ESSE
MORTIS COGITATIONEM.

Vidiſti nunc
Naturæ Artisque prodigia,
admirabili prorſus ſtudio collecta:

Supereſt
ut aut ipſe diſcas
vel *POSSESSOREM* ſcire
inde cognoſcas,
Quid valeat Nummus, quem præbeat uſum.
Idcirco Tibi oſtendam

NUMISMATUM GAZAM

ingentem numero,
numerantur enim in ea
nummi ultra 4000.
è quibus
440. *ex auro,*
2300. *ex argento,*
reliqui ex ære.
Gazam inquam
variam magnitudine & pondere,
adſunt etenim
maximæ, mediæ, minimæ,
formæ,
variabilem denique pretio,
admirabilem plane raritate.
IN DIVERSAS CLASSES
diviſus eſt
hic Theſaurus.

TRIPLICI ORDINE TOTVS ABSOLVITVR.

Primo comprehenduntur

NVMMI DIVERSARVM GENTIVM.

Ex his
Facem reliquis præferunt
ÆTERNÆ URBIS ROMÆ
Consulum jussu
percussa Numismata.
Hos excipiunt
NUMMI IMPERATORUM.
Inter quos præcipuus est
ILLE DOMITIANI ISIACUS,
cujus ænigma
nuper publico scripto emisso,
ut omnia solet,
erudite solvit,
INCOMPARABILIS OBRECTUS,
in his literis plane
DICTATOR.

Sed ne
IMPERATORES
suo destituti sint adjutorio,
sequuntur Uxores
AVGVSTÆ,
in quarum consortio est
Matidia quædam,
ex auro,
perrara & multis aliis,
quamvis Principum,
Musæis
sæpius desiderata.
Absolutis ROMANORUM,
incipiunt
GRÆCORUM,

& post hos
JVDÆORVM
Nummi,
plurimi genuini, pauci ectypi.
Deinceps longa serie
loca sua occupant
Syriaci, Ægyptiaci, Africani,
& rudiores cæteris,
Gothici.
His proximi collocati sunt
Chinensium, Indorum, Magni Mogolis,
Americani, Turcici.
Postremum in Prima Classe ordinem
obtinent,
REGNORVM, REGVMQVE CHRISTIANORVM
Nummi,
Moscovici, Suecici, Anglici, Scotici,
Hispanici, Gallici, Italici, Danici, Hungarici,
Transylvanici, Polonici,
GERMANICI VETERES RECENTIORESQVE,
interque eos
ARGENTINÆ CIVITATIS
ex auro,
à minimo ad maximum
prope omnes,
ut &
Helvetiorum Belgarumque
diversis temporibus
fabricata Numismata.

Altero ordine
Nummi
MEMORABILIUM RERUM MEMORIIS
consecrati
inveniuntur.
Hic namque servantur & digeruntur
Nummi
ILLUSTRIUM PERSONARUM
Nuptiis, Baptismis, Funeribus,
variis Inaugurationibus,
Sacri Romani Imperii
aliorumque Regnorum
Comitiis,
itemque
Vicariatui in Imp. Rom. Germanico
Sacri.
Adsunt porro
qui
Obsidiones, victorias, pacem, fœdera,
festivitates publicas,
Ecclesiarum Jubilæa,
imo & Academiarum,
inque his
juventuti data industriæ præmia
indicant.

Sunt *præterea*
qui
largas vindemias,
extructiones celebrium ædificiorum,
Cometarum minas,
variasque Historias,
perſpicuitate & elegantia
Emblematum ſuorum
produnt,
vel
Inſcriptionum ſuorum
rotunda brevitate
demonſtrant.

Adſunt *denique*
AMULETA,
ea nimirum
quæ
Scientia Matheſeos pridem celebratiſſimus
Vir Eruditiſſimus
JULIUS REICHELTIUS,
Mathemat. PP. Argentoratenſis Ordinarius.
non ita pridem
doctiſſima explicatione
orbi literario
publicavit.

Tertius denique *ordo*
ILLUSTRIUM VIRORUM
IMAGINES
exhibet.

TRIBUS SOLIIS EÆDEM DISTINCTÆ SUNT,
Primum
nempe Ecclesiasticum
Papali Dignitati
concessum est.

Alterum
quod Seculare est,
datur
Imperatoribus Augustis,
qui stipati sunt
Electoribus, Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Nobilibus,
denique
Literatis & Artificibus.
Inter
PALATINÆ DOMUS
aureos
radiat quidam
ICONICUS,
quo
SERENISSIMI ELECTORIS
CAROLI LUDOVICI
mira & eximia munificentia
hanc Gazam
gratiose amplificavit.
Hic Nummus reliquis,
sicuti PRINCEPS quoque ILLE
tanquam Sol inter Cœli lumina

præcellentior eſt;
ita quoque cœrulei coloris pulvinari ſerico,
quod argentea faſcia ambit,
impoſitus,
eminentior habetur;
& ſic quoque
quantum in *POSSESSORE* eſt,
quod argutiſſima Inſcriptio Nummi fieri cupit,
traditur

CUSTODIÆ FELICI.

Tandem aliquando
Optime Hoſpes,
obiter tantum, & velut in tranſitu
contemplatus es
HUJUS MUSÆI ARCANA;
accuratius fortaſſis eadem inſpecturus,
ſi modo
per inexhauſtam rerum multitudinem,
vel etiam
per adumbrationis noſtræ brevitatem
licuiſſet.
Nunc etiam
MUSÆUM IPSUM,
quatenus ex ligno lapidibusq; conſtructum
ædificium conſtituit,
quantum rudi penicillo ſtyli aſſequi potero,
depingere ſtudebo.
Id autem adornatum eſt,
pro dignitate rerum, quas continet,
pro Spectatorum Utilitate,

denique
pro Domini ingenio & commoditate;
eleganter, non magnifice,
ſplendide, non ſumptuoſe,
nec tamen ſine ſumptibus.
Totum Conclave
omni diligentia
munditiem non affluentem
affectat.
In eo ſeſe offerre
UNAM, NON UNICAM PICTURAM,
ſuperius monui.
Ut vero hac parte eo brevior eſſe poſſem,
AUREA ILLA DICTA
MUSÆI PARIETIBUS
CONGRUIS LOCIS
ADSCRIPTA,
paſſim interjeci.
Et ut ibi
AUREIS LITERIS, AUREISQUE ARGUMENTIS
decore præfulgent;
Ita eadem hoc in loco
Rubrica dignius aliquanto expreſſa,
fortaſſis non indecore
eniteſcunt.
Ego enim ſic exiſtimavi,
dandum *POSSESSORI* hoc eſſe,
ut
quomodo hæc *IPSIUS* ingenioſe inventa
per ſe à promiſcuis cogitationibus noſtris
ſeparantur;

Ita
in delineatione hujus Musæi
accipiant habeantque
propriam speciem,
Præsertim
cum hæ sententiæ
acutum *POSSESSORIS* ingenium
prodant;
& spectatores
ad Magni Creatoris venerationem,
Creaturarum admirationem,
& porro ad laudem Artificum,
invitent, excitent, stimulent.
Cæterum
ornatus hujus Musæi
modicus est, non multus;
multus tamen,
quia in eo
Rerum pulchritudo
non modica est.
Eadem vero in neutram partem
conspici potest.
Quis ergo dubitet,
tam exacte ædificando
Circulum absolvisse
POSSESSOREM;
quanquam conclave quadratum est,
nec circulum facit.
Dixi modo quadratum id esse,
& tamen, ut Græcorum proverbio dicitur
Απαντοκτὼ, id est, *omnia octo*,
continet.

Quamobrem eo facilius Tibi persuades,
id adornatum esse
ex ingenio & moribus
Hominis quadrati,
reminiscentis
præter cætera,
etiam illius dicti,
(quod in ædium suarum vestibulo notari curavit)
UTRIUSQUE ESTO FORTUNÆ.

Sed hactenus
HOC MVSÆVM
eo lubentius delineavi,
& delineando laudavi,
quo magis id agendo
tanquam Auctor illius & Architectus
laudatur
IPSE POSSESSOR.
Cujus in hac parte nobile institutum,
& nobilis illius instituti
monumentum nobilissimum,
ære certe perennius,
tanto majorem prædicationem meretur;
quanto pluribus sumptibus laboribusve
constat

ejusmodi Cimeliorum Congeſſio,
maximis difficultatibus minime carens.
Nam quælibet exotica difficilius parantur.
Et extra hoc, alias etiam verum eſt,
Omne rarum carum.
Quæ vero cara,
plerumque difficilia ſunt parari;
rurſus quæ difficilia ſunt,
ea ferme pulchra ſunt.
Inde mirum non eſt
quod
HOC MVSÆVM
placeat, ſemperque placiturum ſit
omnibus
quibus nihil diſplicet,
quod
juxta inſignem pulchritudinem & utilitatem,
ſimul honeſtate & jucunditate ſua
tam diffuſe ſeſe commendat.
Sed dignum quoque eſſe
hoc Cimeliarchium
quod placeat
ſpectatoribus,
Grandis exempli auctoritate
comprobarunt

VIRI PRINCIPES NON PAVCI
qui id perluſtrare dignati ſunt.
dein
VIRI ALIQVOT ERVDITI,
qui id partim viderunt,
partim publicis ſcriptis celebrarunt;
ex quibus hic rurſum merito nominamus,
ex noſtratibus quidem
(tametſi & alii inter Germanos præclari Viri ſint)
Illa Athenæi noſtri ornamenta,
OBRECHTVM & REICHELTIVM,
ex Gallis
PATINVM & SPONIVM
Doctores Medicos,
geminis Phœbi artibus celeberrimos.
Horum omnium laudabile ſtudium
circa Nummorum explanationem,
politiorum literarum ſtudioſis
egregio prorſus documento
dudum declaravit
quantum luminis ex Nummis
Hiſtoria
poſſit accipere.
Denique
non indignum eſſe hoc Muſæum

quod placeat cordatis,
& sibimet placuisse
efficaciter testati sunt quidam
BENEFACTORES;
qui liberalitatis suæ luculentissima monumenta
non sine gloria mansuri nominis
in hoc Musæum
reposuere.
Cæterum
uti Benefactores ejusmodi
de hoc Musæo
bene meriti sunt;
ita quoque optime,
& multo pulchrius,
merebuntur
de literarum studiis,
de ipsa natura,
qui talia Musæa,
hoc, aliorumve exemplo allecti,
aut potius
maximæ, certissimæque utilitatis conscientia
impulsi,
simili industria
instruere suscipient, concinnare pergent,
& perficere laborabunt.

Namque hoc beneficio
quod
ORBI LITERARIO
Rerum naturalium ſollicita collectione,
Nummorum laudabili coactione,
Amborumque conſervatione
præſtatur,
Orbis eruditus
quotidie capiet
majora ſapientiæ incrementa.
Hac namque ratione
vindicabitur ab interitu
quidquid
ſitu, ſqualore, oblivione
contectum, obſcuratum, obumbratum,
velut
perditum, corruptum, ſepultum,
adhuc delituit.
Reſtaurabitur fere omne
quicquid in HISTORIA
injuria temporum
intercidit.
Sic demum ſperari poterit,
præteritorum ſeculorum damna
reparatum iri.

Sic poterit ſolertia
NATVRÆ CVRIOSORVM,
quod diu anhelavit,
Tum demum felix rerum cognoſcere cauſas.
Id fiat!
& cedant omnia in gloriam
DEI TER OPTIMI MAXIMI!

Tu interea
MI HOSPES
rogaris,
æqui bonique conſulas
hanc qualemcunq; delineationem
ſumma tantum capita rerum
indicantem.
Illuſtrioribus tantum Cimeliis,
nec tamen his omnibus,
exempli loco illuſtratam.
Sed bona me ſpes tenet,
hic libellus
juſſu MOECENATIS mei
hac ſtyli forma conceptus,
dum honori IPSIVS à me deſtinatur,

professione pietatis & obsequii
aut laudatus erit, aut excusatus.
Quale ingenium, & argumentum
hoc scribendi genus requirat,
me non fugit.
Sed memini illius *Quinctiliani*,
(aut cujus demum ea verba sunt,)
dicentis:
Extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis
vel præcipua jucunditas est.
Alii fortassis ornatiora & meliora proferent;
Non invidebimus.
Cordati, uti spero, sic judicabunt,
Non esse unum eloquentiæ vultum,
plures species deprehendi;
nec statim deterius esse quod diversum est.

Interim vale
OPTIME HOSPES,
& in exitu hujus operis
etiam vitæ,
(quod inscriptio
ÆDIUM BRACKENHOFFERIANARUM
exeuntes jubet,)
EXITUM MEDITARE.

